



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Sect. Vlt. Argumenta adversaria solvuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

35 Altera pars minoris probatur, quia si in natura Angelica considerata in esse possibili non præintelligitur possibile intrinsecum principium distinctionis indiuiduorum intra eandem speciem, per nullam potentiam, etiam absolutam Dei, fieri poterit talis multiplicatio, quia ex parte ipsius obiecti supponitur repugnantia; quod patet, quia impossibile est intra speciem aliquam multiplicari indiuidua, nisi in se recipiant intrinsecum principium distinctionis, neque hoc principium addi potest ab extrinseco, si in ipsa intrinsece non inuenitur: ergo si supponamus in Angelis non esse possibile tale principium intrinsecum nullo modo poterunt creari distincti numero in eadem specie: consequentia clara est, & antecedens probatur; quia distinctio vnus rei ab alia ex parte ipsarum rerum spectata est veluti quidam formalis effectus, qui sine propria intrinseca forma, vel quasi forma fieri non potest, nec Deus potest illam supplere; quia non potest supplere causam formalem, aut materialem intrinsecam, nec potest facere quod ab intrinseco aliquid rei conueniat, quod illi non est natum.

36 Ratio autem magis à priori est, quia si aliquæ entitates non sunt ab intrinseco distinctæ, aliquid eis addere oportebit, in quo distinguantur; at vero ut aliquid huiusmodi eis addi possit, oportet, ut supponantur distinctæ; quomodo enim illud, quod superadditur, esset distinctum, si supponatur esse vnum, & idem illud cui additur? Ergo repugnaret prorsus distinctio numerica, si non præintelligeretur possibilis tanquam intrinseca ipsis entitatibus, & omnino eis connaturalis.

37 Et ideo non recte fit comparatio inter alios effectus quos Deus facere potest supernaturaliter in rebus, quia solum pendet ab ipso, ut ab efficiente, & sine, & hunc effectum distinctionis numerice non potest in rebus supernaturaliter fieri, si in ipsis entitatibus intime, & connaturaliter non inuenitur, quibus rationibus Patris Suarez satis aperte probata manet hæc secunda conclusio, illisque aliquid addere superuacaneum opere prætium iudicauit.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria soluntur.

38 **A**D primum argumentum nego absolute Maiorem, ut patet ex supradictis.
Ad secundum etiam absolute negatur maior, ut patet ex relationibus diuinis, gratia habituali, animabus rationalibus, &c.

QUESTIO III.

De multis ad substantiam Angeli pertinentibus.

1 **P**rima conclusio: Angeli sunt adæquate, & totaliter spirituales; Patet 1. ex scriptura, *Psalm. 103.* qui facis Angelos tuos spiritus, & ad *Hebræ. 1.* Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, &c. & *Psalm. 105.* Benedicite spiritus, &c.

2 Secundo probatur ex Ecclesiæ definitione; nam.

Concilium Lateranense sub Innocentio III. quod etiam refertur in capite. *Firmiter, de summa Trinitate*, dicit[ur] simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, spirituales, & corporales, Angelicam videlicet & mundanam, & deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam] vbi Angelos esse creaturas spirituales decernitur, id est incorporeas, condistinguit enim à corporalibus Concilium, vnde sicut corporales creaturæ condistinguntur ab hominibus mere corporales sunt, & non mixtæ ex spiritibus; ita è contrario Angelos, ut condistinguitur tam ab hominibus, quam à tota mundana creatura esse puros spiritus, & non ex corpore, & spiritu mixtos debemus intelligere ex definitione Concilij.

Fere omnes Patres Ecclesiæ in hanc veritatem vnanimi consensu conspirant, ut Dionysius *cap. 1. de celesti hierarch.* Athanasius. Gregorius. Nizenus, Chrysostomus, Leo Papa *epist. 93. ad Turibium, cap. 6.* Et reliqui, quos ad longum citat P. Suarez.

Ratio sumitur ex D. Thoma, 1. *p. quest. 51. art. 1. & quest. 7. art. 3.* fundaturque præcipue in causalitate finali, quæ inter materiam & formam, seu corpus & animam intercedere debet ut ad vnam naturam constituendam conuenienter vniantur; si enim Angeli essent corporei, tanquam ex corpore & spiritu compositi, necessarium esset corpus comparari ad spiritum, ut materiam ad formam, quia non possent per se vniri, nisi per modum potentie, & actus: clarum autem est inter corpus, & spiritum illud esse potentiam, hunc vero actum: ergo componitur Angelus ex corpore, & spiritu, tanquam ex materia & forma: sed non potest hoc modo spiritus Angelicus vniri corpori: ergo non possunt Angeli hoc modo esse corporei. Probatur minor, quia spiritus non vnitur corpori ut forma materie principaliter propter bonum corporis, sed ut illo tanquam organo, & instrumento utatur ad suam propriam operationem, quæ est intelligere, quia non est forma propter materiam, sed potius materia propter formam, quia semper ignobile est propter nobilior non contrario; sed corpus non potest deferuire spiritui Angelico ad suam operationem: ergo talis spiritus non est forma corporis, nec ad illud actuandum natura sua ordinatur, nam sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio negationis, quando ratio, seu causa est adæquata; ita enim est in præsentia, ut videre licet in anima hominis, vnitur enim corpori ut forma, quia illo indiget ut organo ad suam propriam intelligendi munus, & ad scientiam comparandam, quo sine sublato, impertinens esset talis vnio, ac subinde non esset intrinseca; & connaturalis: subsumptum minoris probatur, quia corpus non seruit spiritui ad cognitionem intellectualem, & scientiam acquirendam, nisi media cognitione sensus; at vero corpus si esset in Angelo non haberet organa sensus, & consequenter nec facultatem sentiendi: ergo esset inutile ad operationes intellectus, ac subinde incapax naturalis, & substantialis vnionis ad spiritum Angelicum. Minor probatur, quia tale corpus esset simplex, & incorruptibile, ac proinde inalterabile & incapax tactus, & aliorum sensuum.

Secundo probatur omnibus argumentis quibus supra probauimus esse possibles creaturas pure intellectuales completas, quas Angelos nominamus.

Secunda